

DE DIVINIS,
APOSTOLICIS, ATQVE
ECCLESIASTICIS TRADITIONI-
bus, deque authoritate ac vi earum sacrosancta,
adsertiones ceu libri decem, aucti & correcti.

AVTORE R.P.D. MARTINO PERESIO
Aiala, Guidixiensium Episcopo, ac S.
Theologiae Professore.

Cum duplici indice.



PARISIIS,
Apud Gulielmum Iulianum, sub signo Amicitiae, ad
Gymnasium Cameracense. 1562.

*es de la Comp.^a de Jesus de Sal.^a
de la libreria*

DE DIVINIS
APOSTOLICIS, ATQUE

PAVL. 2. THESS. 2. ET 3.

*Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini
nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab
omni fratre ambulante inordinate,
& non secundu Traditionem,
quam acceperunt à
nobis.*

**DIVISIO TRA-
standorum.**

Quadripartitus erit noster processus. Pri-
mum enim aduersariorum doctrinam de
Traditionibus afferemus. Tum causam no-
stram nonnullis assertionibus, & probatis-
simis rationibus statuemus. Tum diuinas
& Apostolicas traditiones, & earum vi-
gorem corroborabimus. Et postre-
mò aduersariorum Ecclesie
argumenta dissol-
uimus.



PAULI 2. THESSALONICENSIS 2. ET 3.
In primis, aduersariorum doctrinam de Traditionibus afferemus.

Handwritten notes in cursive script, likely a library or personal collection mark.



SERENISSIMO HI-

SPANIARVM PRINCIPI

Philippo, Martinus Peresius Aiala,

Guidixiensium Episcopus,

salutē, & Iesu Chri-

sti pacem.



P T S I video, Princeps
serenissime, laborem hūc
meum, quem magnum
diūque suscepi, de doctri-
na diuinarum & aposto-
licarum Traditionum,
non posse numeris omni-
bus absolutum esse, tum

propter rei ipsius nouitatem, quam nemo (quantum
suspicio) perfecte haectenus tractauit: tum etiam
propter doctrinae meae tenuitatem, quam ipse agno-
sco: optarim tamen, vt tantum utilitatis Ecclesie
Dei afferret hic meus tractatus, quanta mihi con-
stitit diligentia, vigilijs, perpetuo magnoque labo-
re. Neque enim potuit non esse laboriosissimum, tot
sanctorum patrum & antiquissimorum scripta di-

ASSERTIO¹

ADVERSARIORVM

de Traditionibus.



UAMVIS nihil frequentius ferè in scriptis eorum comperias, qui sanctam Ecclesiam impugnarunt, quàm quòd aduersus Apostolicas Traditiones latent, iisque detrahant, ac vulgo suas easdem Papistica & commentitia hominum instituta vocantes, ludibrio exponant, ne tamen aliquibus videamur antagonistas fictos nostris argumentis impetere, afferemus fideliter in medium ipsa aduersariorum expressa verba, per quæ omnes intelligant, malè sanam eorum mentem, quantum ad præsentem causæ statum attinet, & efficaciter à nobis impugnari, & à sancta Ecclesia meritò damnari.

Non est hoc nouum Protestantium institutū, neque ab illis primo inuētum (ne gloriam reportent de mendacio, quod magis renouarunt quàm inuenerunt) scilicet pro certo nō habere, nisi quod in diuinis scripturis expressum inuenitur. Nam Eunomiani hæretici manifesti, & in spiritum sanctum olim blasphemi, teste diuo Basilio ad Amphilo-
chium, conglorificationis spiritus sancti cum patre & filio dogma non recipiebant, quia in scripturis minime contineri videbatur, nihil de traditio-

Basilio.

sit apostolica. Deo gratiæ, quòd ab his audimus verba quæ apostolicum & ecclesiasticum sapiunt magisterium. Vtinam hæc vox illis placeret in aliis etiã dogmatibus, quæ sine causa reiiciunt, quæ tanta antiquitate & vniuersalis ecclesiæ consensu constãt, vt in multis aperte monstrauimus, sicut illis in hoc placet, maneret profecto Iesu Christi tunica integra & indiuisa, nec in tot hæreses tam lamentabiliter distracta.

Ex veritate huius sancti dogmatis quam Lutherani merito acceptant, simul cum his quæ diximus, sequitur totius Lutheranismi destructio. Nam si baptismus paruulorum in Ecclesia admitti debet, & hoc non constat ex scriptura sacra, aliquid ergo tãquam certum & infallibile admittendum est, quod in scriptura minime continetur, ac proinde falsum est huius contradictorium, scilicet, Nihil est pro certo admittendum, nisi quod in scriptura sit expressum, quod est basis & fundamentum omnium suorum errorum: id quod nos demonstrare intendimus, quare auribus lupum tenent Lutherani. Nam aut oportet eos cum Ecclesia sentire, & suas perniciosas hæreses retractare, vtpote quæ ex illo falso & erroneo fundamento sequuntur, aut baptismum paruulorum cum phanaticis Anabaptistis negare, quandoquidem sola Traditione diuina & Aposto-

lica quam in aliis perperam reiiciunt, ba-

ptismus paruulorum validissime

statuitur. Nunc proceda-

mus vltcrius.

G